

quod sint ex nobis, id est, sit electus aliquis in Christo ante constitutionem mundi electione propria prædestinatorum discernente eos a reprobis, ut ibi Augustinus docet. Ex quo fit argumentum, secundum Augustinum: prius præsupponuntur aliqui electi electione perseverantiæ, seu gratiæ finalis, quam detur illis prima vocatio, vel fides, et prius supponuntur electi in Christo electione propria prædestinatorum, quæ est ad gloriam, quam detur eis perseverantia ipsa: sed in executione, sive quæ temporaliter exercetur modo, sive quæ disposita est ab æterno via executionis ante consecutionem gloriæ datur perseverantia, et ante perseverantiam fides et vocatio, alique priores effectus gratiæ: ergo in ordine intentionis datur aliqua prioritas, quæ non datur in ordine executionis, et sic non intervenit sola antecedentia durationis, qualis est inter æternam providentiam, et temporalem executionem, sed etiam prioritas intentionis in eligendo ad gloriam eaque efficax, quia propria prædestinatorum. Minor est manifesta, quia in tempore, non incipiunt effectus prædestinationis a glorificatione, vel a perseverantia finali, sed a vocatione ad fidem, et justificatione, aliisque meritis, et operibus, quibus perducimur ad glorificationem, sic enim docet Concilium Tridentinum sess. VI, c. V, initium justificationis sumi a vocatione Dei; ergo et glorificationis, quia glorificationem præcedit justificatio. Major probatur, tum ex his quæ supra late probavimus ponderando loca Augustini et ostendendo quomodo in illa prima electione in qua dicit nos electos esse ad regnandum cum Christo, capite VII de correptione et gratia, loquitur evidenter de electione propria prædestinatorum, quæ est ad

obtinendum, et assequendum regnum, vel ad finalem perseverantiam; tum etiam ex his quæ docet eodem libro, c. VI, ponderans locum illum Actorum XIII: *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam*, ubi inquit: « Quis in æternam vitam potuit ordinari, nisi perseverantiæ dono? Quandoquidem qui perseveraverit in finem, hic salvus erit; qua salute, nisi æterna? » Ubi constat, quod cum illi dicantur credidisse qui præordinati erant in vitam æternam, prius ordinati supponuntur quam credidisse; et sic fides, seu actus credendi illis datus est, qui præordinati erant, non postquam crediderunt præordinati sunt: sed dicit Augustinus, quod ordinati erant non nisi perseverantiæ dono, quod utique efficacem designat ordinationem, cum perseverantia efficax donum sit, et proprium prædestinationem, quia secundum Augustinum eodem libro, c. XII, per eam homines non nisi perseverantes fiunt: ergo prior fuit in ordinatione divina perseverantia, et finalis gratia, quam credere, et actus fidei illorum qui audierunt Paulum: non autem fuit prior illa perseverantia secundum executionem, cum constet prius esse in executione credere, et justificari, quam perseverare: ergo necessario intellexit Augustinus perseverantiam finalem (atque adeo ipsam assecutionem gloriæ, quæ illi essentialiter est annexa) esse priorem in ordinatione divina ordine intentionis; et sic aliquid efficaciter potest esse volitum ordine intentionis antecedenter ad prævisa merita, seu ante priores effectus, sine quibus tamen de facto non ponetur in executione; et sic non solum duratione, sed etiam intentione, et ordinatione præcedit electio ad gloriam ipsa merita, et sic vera est doctrina quam tradimus, posse aliquid esse efficaciter intentum ante illa

merita, vel opera, sine quibus in executione non fiet.

XV. Secundum vero suprapositum pro mente Augustini eruenda, explicatur ex supra dictis, ubi ostendimus Augustinum, et loqui de electione ad regnum in se, et non solum ut est in semine, seu in ipsa gratia, et quod illa electio est ex gratia, et miseratione sine meritis, et quod elegit illos per misericordiam, sicut Iudam per iudicium, quæ jam supra allata, et ponderata sunt: sed electio ad gloriam sine meritis, et ex miseratione divina, non est electio eo modo data, quo in executione datur: ergo eo modo intenta, quo ante ordinem executionis Deus intendit; et sic non solum differt electio ad gloriam, et executio in tempore, quia illa est ab æterno, ista in tempore fit, sed etiam, quia via intentionis incipit a gloria efficaciter intenta, antequam moveatur meritis, tamquam a ratione, et motivo intensionis, licet in ipsa intentione videat illa ut effectum ex illa intentione derivatum. Minor est certa, quia gloria ut data in executione, datur per modum debiti, et coronæ: ergo non titulo, et motivo misericordiæ. Nec potest utroque titulo dari, scilicet gratuito, et remunerativo, cum ista motiva oppositionem habeant inter se, et contrarias condiciones requirant. Consequentia vero manifesta est, quia electio ad gloriam ex meritis præsuppositis, et dantibus motivum eligendi, est electio remunerativa: discernit enim unum ab alio conferendo uni quod meretur, negando alii quod non meretur: ergo si non est in Deo alia electio ad gloriam nisi ex præsuppositis meritis, non est alia electio, quam remunerativa, et præmiativa. Ubi ergo salvatur electio ad regnum, seu gloriam quam dicit Augustinus ex misericordia, ut in septimo capite de correptione

et gratia, et sine meritis, et ex miseratione, quam ponit libro de gratia et libero arbitrio, c. IX. Et ut supra ponderavimus, loquitur de electione efficaci, quia loquitur de ea, quæ est propria prædestinatorum; et sic sortitur effectum, et ad gloriam in se formaliter, et non in semine, quia loquitur de gloria, seu vita æterna, quæ ut stipendium redditur justitiæ ut dicit hoc posteriori loco. Cogimur ergo ad dicendum quod quando loquitur de electione ad gloriam ex misericordia, et sine meritis, loquitur de electione ad gloriam ut intentam: ad eam enim intendendam, non fuit Deus motus ex meritis, sed ex sua liberalitate, quamvis hanc gloriam quam ex liberalitate profert, et proponit, non ad liberaliter nobis dandum, sed juxta agonem, ac meritum nostrum discernat, sicut qui ex liberalitate influit spectacula, et profert præmia, quæ athletic danda sunt ex justitia. De sensu vero Augustini illo loco ad Simplicianum, unde vult jvari ista solutio, plenius dicitur infra solvendo argumenta. Modo sufficiat dicere intelligendum esse Augustinum de electione executâ, quæ cadit super bona opera, non de intenta quæ antecedit illa, et ipsa executio electionis ut futura, etiam præcedit in præscientia Dei, non solum electio via intentionis considerata.

XVI. Circa id quod dicitur de errore Semipelagianorum, an etiam hanc controversiam attigerit eorum error, existimo ipsos quidem negasse electionem Dei ad gloriam, etiam ordine intentionis ante prævisa merita, sed errorem eorum in hoc puncto non consistere quantum ad punctum de prædestinatione, in quo de errore postulantur ab Augustino. Negaverunt quidem electionem ante prævisa merita etiam ordine intentionis, et in eo sensu, quo nos poni-

mus, quia ut refert S. Prosper in epistola citata ad Augustinum de prædestinatione, sic dicebant: « Qui autem credituri sunt, quive in ea fide, quæ deinceps per Dei gratiam sint juvandi, mansuri sunt, præcise ante mundi constitutionem Deum et eos prædestinasse in regnum suum, quos gratis vocatos, dignos futuros electione, et de hac vita bono fine excessuros esse præviderit. » Ecce quomodo ad eligendum in regnum suum, dicebant supponere et prævidere Deum merita, nempe dignos electione, et bono fine excessuros, et hos prædestinasse in regnum suum. Ante prævisionem ergo dignorum non erat electio: ergo neque ante prævisa merita, quia per merita digni redduntur. Omnino autem negabant discretionem factam esse inter eligendos et rejiciendos, ita ut quidam vasa honoris, alii contumeliæ sint secundum placitum creatoris, hoc est ex gratuita, et misericordie eius electione, quia hoc lapsis curam resurgendi adimeret et sanctis occasionem teporis afferret. In qua negatione ita universali, et in affirmatione supra posita eligendi solum in regnum eos, quos Deus dignos præsciebat, manifeste excludebant omnem electionem efficacem ante prævisa merita, sive per modum intentionis, sive per modum executionis: semper enim electio dignos supponebat apud ipsos, non faciebat.

XVII. Cæterum punctus erroris eorum non erat, an ad hunc ordinem prædestinationis, et gratiæ Deus eligat incipiendo ab absoluta voluntate dandi gloriam, et ab intentione efficaci finis, an vero ex simplicij voluntate finis, et gloriæ, qualis communiter ad prædestinatos, et reprobos habetur, moveatur Deus ad dandam gratiam, et præparandum merita prius quam ad dandam gloriam, supponendo quod illa

gratia, et illa vocatio, et præparatio ad merita datur a Deo omnino gratis, et nulla habita ratione meritorum, vel occasionis in uno præ alio, de hoc nihil tangit error Massiliensium, sed totus eorum error circa prædestinationem ad duo reducitur ut supra disputatione tertia diximus, scilicet pro initio gratiæ negando gratiam dari non præsupponendo aliqua bona initia, quæ non essent ex gratia, sed ex nobis, ratione quorum nunquam æqualibus meritis vel demeritis existentibus dabatur dispar donum gratiæ, vel uni præ alio. Et secundo circa finalem gratiam, scilicet perseverantiam dicebant eam dari ex meritis, nec talem esse, quod non posset nostra voluntate amitti. Unde tandem colligebant prædestinationem necessario supponere præscientiam eorum quæ facturi sumus, vel in tali occasione etiam cum adjutorio gratiæ faceremus, ut intuitu talium Deus vel eligeret vel rejiceret, quasi pro qualitate prævisi meriti vel demeriti. Quod vero electio divina in ipso ordine prædestinationis, et in ordine gratiæ eligendo sine meritis præsuppositis ad ipsam gratiam, incipiat hanc electionem ita gratuito, et sine meritis, quod etiam ab intentione efficaci circa finem incipiat sine meritis, an vero sola simplici finis voluntate supposita incipiat efficax voluntas ab electione ad gratiam, prorsus non tangit errorem Semipelagianorum, quamvis a fortiori ipsi negaverit intentionem efficacem ad gloriam esse sine meritis, qui electionem ad primam gratiam, et ad ultimam perseverantiam, etiam sine meritis non ponebant.

Quando ergo Augustinus dixit non posse contra istam sententiam de prædestinatione, sine errore disputari, locutus est de sententia illa de prædestinatione, quæ ejus initium, scilicet primam gratiam, et ejus fi-

nem, scilicet perseverantiam ex meritis ponebat, hoc enim contra testimonia Scripturarum dicitur. Quod vero intra istum ordinem prædestinationis factæ sine meritis incipiat Deus habere efficacem intentionem, et voluntatem circa gloriam ante merita, vel ipsa ratio efficacis non resplendet circa gloriam ante merita, non ut errorem impugnat aut docet Augustinus, licet vere doceat nostram sententiam.

## DE MENTE D. THOMÆ.

XVIII. Hanc non obscure ex pluribus ejus locis habemus, in quibus docet electionem, et dilectionem finis præcedere præparationem mediorum, et prædestinationem taliter, quod ante præparationem mediorum sit efficax dilectio, et electio finis, non solum simplex ejus complacentia, nec solum amor finis, id est, beatitudinis secundum se, sed ut in tali determinata persona quæ eligitur præ aliis determinate ad talem finem, et postea ei providetur de mediis. Hæc autem mens S. Thomæ colligitur clare ex hac quæstione, art. IV, ex q. VI de verit. art. I, ex dist. XXI, in primo sentent. q. I, art. II. Et consistit in tribus propositionibus.

Prima est: ante prædestinationem ut dicit præparationem mediorum ad gloriam, datur dilectio finis seu gloriæ in se, et electio personarum determinatarum ad illum finem, et non solum electio ad gloriam in semine, et ut continetur in gratia, sed in se.

Secunda illa electio, et dilectio gloriæ, et personarum ad illam est efficax, non communis reprobis, et prædestinatis (quod pertinet ad simplicem complacentiam) sed segregativa prædestinatorum a reprobis.

Tertia electio ad gratiam efficacem, et ad auxilia congrua, seu consecutiva finis est consequens prædestinationem, et consequenter electionem ad gloriam.

XIX. Prima propositio constat ex verbis D. Thomæ in præsentia quæstione, art. IV, ubi dicit: « Prædestinatio secundum rationem præsupponit electionem, et electio dilectionem. » Probat hanc conclusionem: « Quia prædestinatio est pars providentiæ, et providentia est ratio in intellectu existens præceptiva ordinationis aliquorum in finem; sed non præcipitur aliquid ut ordinandum in finem, nisi præexistente voluntate finis: ergo prædestinatio aliquorum in salutem æternam præsupponit secundum rationem, quod Deus velit illorum salutem. » In hac ratione expresse distinguit D. Thomas voluntatem finis a ratione ordinativa mediorum in finem: ergo a fortiori distinguit illam a voluntate dandi illa media ordinata in finem, quia voluntas non dat illa media, nisi ut regulata, et directa per illam rationem ordinativam mediorum in finem: dat enim illa rationabiliter, et ordinate: ergo supponendo rationem ordinativam: sed merita, et gratia pertinent ad media ordinata in finem, quia sunt id per quod assequimur præmium, quod est ipse finis: ergo in sententia D. Thomæ, antequam sit in Deo voluntas dandi merita, jam est voluntas de ipso fine: ergo hæc voluntas ad dandum, et volendum finem non movetur ex meritis prævisis in homine, quia merita non prævidentur in homine nisi ut data a Deo, et procedentia ex gratia; hæc autem datur post illam voluntatem finis. Et eodem modo convincitur, quod loquitur D. Thomas de voluntate gloriæ in se ipsa, non ut contenta in semine, quod est gratia: nam loquitur de voluntate